



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Vtrum ad sponsalia dissoluenda iudicis autoritas necessaria sit. Pun. 31.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

Ad secundam eodem modo respondeo, sponsalia sub ea conditione fieri vt si aliquid eueniat, quod difficiliorem contractum reddat, possunt dissolui non vtique, sed per illius exceptionem, & obiectionem. Ad tertiam nego cum pluribus aliis Doctoribus, quos refert, & sequitur Sanch. d. disp. 63. n. 4. adulterium non posse exigere debitum ab innocente, dum sibi adulterium non obicitur; potest vtique; quia in poenam fidei violata priuatur, quam poenam non incurrit, quousque à Iudice condemnatur, vel à parte dictum clarè, & manifestè obicitur, & non leuibus indicis ducta, vt bene Sanch. & Gutier. docent.

PUNCTVM XXXI.

Vtrum ad sponsalia dissoluenda Iudicis auctoritas necessaria sit?

- 1 Stante certa causa iure, & facto nulla requiritur auctoritas Iudicis ad dissoluenda sponsalia.
- 2 Ratione vitandi scandali aliquando requiritur.
- 3 Prudenter in aliquibus diocesibus statutum est, ne vlla sponsalia publica propria auctoritate dissoluantur.
- 4 Quid sit faciendum, cum sponsalia publica sunt, & causa dissolutionis secreta?

1. **C**ommunis, & vera resolutio est stante certa causa, iure, & facto dissoluenti sponsalia nullam Iudicis auctoritatem requirit, quia nullibi cauetur necessariam esse, & dissolvens iure proprio vtitur. Aliquando tamen ratione vitandi scandali Iudicis auctoritas exigitur. Sic Syluest. verb. Sponsalia quaest. 11. Nauarr. cap. 22. num. 28. Sanch. disp. 63. num. 5. Gutier. cap. 35. num. 4. Valen. disp. 10. quaest. 2. part. 5. Rebell. lib. 4. quaest. 8. sect. 9. Basil. Ponce, lib. 12. cap. 18. in fine. Notanter dixi stante certa causa iure & facto, certitudine, inquam morali, quæ ex fama, ex testibus, ex experientia habetur, quæque prudenter mouere potest ad iudicium, vt norauit Sanch. lib. 1. disp. 69. num. 9. & disp. 71. 72. & 73. Coninch. disp. 23. dub. 1. num. 82. Nam si solum dubia causa ex iure sit, eo quod satis exploratum non est esse sufficientem; vel ex facto, quia non tibi moraliter constat eam adesse, nequaquam poteris ab sponsalibus resiliere, quia nequis priuare alterum iure quæsito certo ob causam dubiam, sicuti aliis relatis docet Sanch. dicta disp. 69. num. 8. Gutier. cap. 35. num. 7.

2. Dixi aliquando ratione vitandi scandali Iudicis auctoritatem necessariam esse, quod solum contingere potest, quando sponsalia publica sunt, & causa dissolutionis secreta, nam si causa dissolutionis iure certa est, & facto publica, nullum scandalum iuste timere potest, vt bene Nauarr. c. 22. n. 28. Gregor. Lopez, leg. 8. f. 1. part. 4. verborum in eod. Sanch. lib. 1. disp. 69. n. 4. Gutier. cap. 35. n. 5. Basil. Ponce, lib. 12. cap. 18. num. 8.

3. In aliquibus tamen diocesibus prudenter statutum est, ne vlla sponsalia publica propria auctoritate dissoluantur, sed interpellato Iudice: tum vt cautâ dissolutionis exactius inuestigetur, tum vt omnis suspicio mali remoueatur, quam consuetudinem teste Layman. c. 2. de sponsalib. in fine approbat D. Thom. in 4. disp. 27. quaest. 2. art. 3. Richard. ibi artic. 3. quaest. 3. Paludan. quaest. 2. S. Anton. 3. part. tit. 1. capit. 18. §. 1.

4. Rogabis igitur, Quid in eo euentu facere debeas, si cum sunt sponsalia publica, causa dissolutionis secreta sit? Et idem est quoties compelleris promissis stare, & habes iustam causam resiliendi? Respondeo monere partem debes, & comminari publicationem defectus, quod si non acquiescat, deferre poteris ad iudicium defectum occultum, quia illa delatio est tui iuris defensio, vt bene probat aliis relatis Sanch. lib. 1. disp. 70. num. 2. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 2. p. c. 2. num. 12. vers. queres. Basil. Ponce, lib. 12. c. 18. n. 8. Coninch. disputat. 23. dub. 11. num. 93. Rebell. lib. 4. quaest. 8. sect. 9. Testesque id crimen scientes reuelare tenentur, vt ius quod habes resiliendi obineas, sicuti docuit Coninch. & Sanch. loc. alleg.

Quod si crimen ita occultum sit, vt in iudicio probare non possis, vel quia nemini alteri notum est, vel esto alicui notum sit, recusat ferre testimonium, poteris eo casu propria auctoritate ab sponsalibus resiliere, quia obligatio repellendi Iudicem cessat: siquidem ea interpellatio tibi perniciosa esse potest, quippe ob defectum probationis cogi poteris stare sponsalibus, quibus non teneris, sicuti aduertit Sanch. lib. 1. disputat. 69. num. 7. Layman. lib. 5. tract. 10. 2. p. capit. 2. num. 12.

Vtrum si pars non te permittat resiliere, & à Iudice compellaris, cum hæc compulsio in re iniusta sit, falsæque præsumptioni nitatur, in foro conscientie non es obligatus parere, sed medijs omnibus subterfugere mandatum poteris.

Ad extremum aduerto Iudicem pro sponsalium dissolutione solum esse Ecclesiasticum Ordinarium, vel Delegatum, non Parochum, qui in foro externo iurisdictionem non ha-

bet, vt docuit Paludan. in 4. d. 27. quaest. 1. num. 38. Sanch. disp. 69. num. 10. Gutier. c. 35. in fine.

PUNCTVM XXXII.

Quæ probatio requiratur pro sponsalium dissolutione?

- 1 Ex triplici capite probatio desumitur.
- 2 Si uterque contrahens testetur adesse causam, Iudex sententiam pro dissolutione ferat. Et idem est, quando vnus qui optat matrimonium prædictam causam testatur.
- 3 Vnus testis iuratus sufficit ad impediendum matrimonium.
- 4 Explicatur prædictum dictum.
- 5 Si sponsalia sint iurata, negant plures vnicum testem dependentem ex certa scientia sufficere ad eorum dissolutionem.
- 6 Verus est oppositum. Et satis obiectioni.
- 7 Fama à fide dignis orta præbet sufficientem causam dissoluenti sponsalia etiam iurata.
- 8 Quid dicendum, cum causa quæ allegatur non impedit matrimonium, sed concedit alteri sui resiliendi.

1. **E**X triplici capite desumi potest Probatio causæ pro sponsalibus dissoluentis requisita: Primò ex testimonio ipsorum contrahentium, Secundò ex aliorum dictis, Tertio ex fama. Deinde allegari potest causa ad sponsalia dissoluentia matrimonij contrahendi impeditua, vt si allegetur impedimentum consanguinitatis, affinitatis, cognationis, aut finium, vel allegetur causa, quæ matrimonium non impedit, sed ea postea licet contrahij potest, qualis est formatio, dos non soluta, & paupertas superueniens conjugia infirmitas, &c. His positis.

2. Si uterque contrahens testetur adesse causam dissoluenti sponsalia, optimè Iudex sententiam pro dissolutione ferre potest, quia esto causa vera non sit, sed ficta, eo dicto contrahentes sibi inuicem obligationem remittunt, & in sponsalium dissolutione consentiunt, vt dixit Menoch. lib. 2. de arbitrar. casu. 103. num. 2. Sanch. lib. 1. disp. 71. num. 2. Gutier. c. 35. num. 18. Coninch. disp. 23. dub. 11. num. 77. Mascard. de probation. concl. 103. num. 17. & 18. Quod idem est dicendum, quando prædictam causam adesse testatur vnus ex contrahentibus, qui matrimonium celebrare optat. Ex cap. attestaciones de desponsat. impuber. nam suo testimonio matrimonium recusat celebrari, quia reculatione iuncta cum dissensu alterius partis, vtraque pars ad dissoluentia sponsalia concurrunt, & consequenter ex vtriusque consensu dissoluentur, vt bene obseruauit Menoch. Mascard. Gutier. Sanch. & Coninch. locis allegatis. Secus esset si testatur impedimentum quod matrimonium renuit celebrare, non enim est illi credendum, cum sit confisio in sui fauorem, & in alterius præiudicium, sicuti dixerunt prædicti Doctores.

3. Si vero ex aliorum testimonio probatio sumenda sit, probandaque sit causa impediens matrimonium, vnus testis iuratus qui deponat se certo impedimentum scire sufficit, tametsi criminofus sit, suamque turpitudinem, reatus, nec fuerit citatus, sed à parte productus, vel ex generali mandato Parochi reuelandi impedimentum coactus, nec publicè, & parte citata testimonium ferat, sed clam, & absque nominis publicatione, nisi sponsalia essent iurata, quia ob firmitatem iuramenti obligationem exactius testimonium requiritur, ac proinde nomen testis coram partibus publicari debet, aliis ad prædicta sponsalia dissoluentia insufficientis iudicabitur, sicuti hæc omnia colliguntur ex capite super eo, el. 2. de Testibus, capite præterea el. 2. de sponsalib. & leg. 18. tit. 19. part. 4. & tradunt aliis relatis Mascard. de probat. contin. 103. d. num. 3. Sanch. lib. 1. disp. 71. a num. 2. Gutier. de matr. 36. d. n. 2. Coninch. disp. 23. dub. 11. n. 77. Etenim cum in præcedenti agatur de impediendo peccato, quod sponsi impediti committerent contrahendo contra Ecclesie prohibitionem, minor probatione ius contentum est. Neque obest, quod post matrimonium contractum ad illud dissoluentem, seu declarandum nullum, duo testes omni exceptione maiores requirantur. c. licet de Testibus. c. 1. de consanguinit. & affinit. nam illo ibi agatur de impediendo peccato, quod contrahentes committunt, si impediti à matrimonio in eo perseverarent, agitur simul de iure quæsito, seu possessio tollendo, & de dissoluentem vinculo, quod per se insolubile est. Quo casu mirum non est, quod vrgentes probationes requirantur.

4. Dixi testem debere esse iuratum, nam esto agatur de peccato vitando, agitur etiam de certij præiudicio, in quo nemini nisi iurato creditur, capite, tua de cohabit. clericor. & tradunt aliis relatis Couarua. 4. decret. al. 2. p. capit. 6. §. 10. numero 21. Sanchez, disputat. 7. c. numero 10. Gutier. lib. 1. canon. qq. capit. 11. numero 31. & de matr. cap. 6. numero 8. Item debet deponere de impedimento ex certa scientia, aliis eius testimonium de auditu non sufficit. Tum quia non iurat fuisse impedimentum, sed audiuille. Tum quia eius testimonium non potest esse firmiter eo, quo impedi-